AUGUSTINUS
Admont, 12. Jh. Seite 139v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift



in xpi sanguine cum p remissionem peccatorum eruimur de diaboli po
testate. Hoc ad id pertinet quod a xpo iusticia diabolus uincetur non po
tentia. Ex infirmitate quippe quam suscepit in carne mortali non ex in
mortali potentia crucifixus est xpc. De qua tamen infirmitate ait apls.
Quod infirmum est dei fortius est hominibus; In quo sit diabolus uictus a xpo.

xv. Non est itaque difficile uidere diabolum uictum. quando quia ab illo occisus
est resurrexit. Illud est maius et ad intellegendum profundius uidere diabolum
uictum quando sibi uicisse uidebatur idest quando xpc occisus est. Tunc enim san
guis ille quem eius erat quia nullum habuit omino peccatum ad remissionem
nostrorum fusus est peccatorum. ut quia eos diabolus merito tenebat. quos pecca
ti reos conditione mortis obstrinxit. hos per eum merito dimitteret quem
nullius peccati reum immerito pena mortis affecit. Hac iusticia uictus
est et hoc uinculo uinctus est fortis ut uasa eius eriperentur quae apud eum cum ipso
et angelis eius fuerant uasa ire. et in uasa misericordie verterentur. Hec quippe
uerba ipsius domini illius xpi de celo ad se facta cum primum uocatus est nar
rat apls paulus. Nam inter cetera quae audiuit etiam hoc sibi dictum sic loquitur.
Ad hoc enim tibi apparui ut constituam te ministrum et testem eorum quae a me
uides. quibus et apparebo tibi liberans te de populo et de gentibus in quas ego
mitto te aperire oculos cecorum ut auertantur a tenebris et a potestate
satanae ad deum ut accipiant remissionem peccatorum et sortem aliquam
in sanctis et fide quae in me est. Vnde et exhortans idem apls credentes ad
gratiarum actionem deo pater qui eruit nos inquit de potestate tenebrarum
et transtulit in regnum filii caritatis suae in quo habemus redemptionem in
remissione peccatorum. In hac redemptione tanquam precium pro nobis datum est
sanguis xpi. quo accepto diabolus non ditatus est sed ligatus ut nos ab eius nexibus
solueremur. nec quemquam secum eorum quos xpc ab omni debito liber indebite fuso
suo sanguine redemisset peccatorum retibus inuolutum theret ad secunde